




GERMANIA



De Germania clarissima natione & dulcissima patria nostra, multa hic occurrerēt scribenda, sed loci angustia cogit nos abbreviare sermonem. Hæc itaq; in superiorē & inferiorē mediante fluuio Mogono, diuiditur. Inferior habet hac nostra ætate Brabantiam, Holandiam, Hassiam, Vuestphaliā, Saxoniam, Frisiam, Pomeraniam, Prussiam, Thuringiam, Misniam &c. Superior uero habet Alsatiā, Heluetiā, Sueuiam, Franconiam, Bauariam, Austriam, Stiriam &c. Inferior eo tēpore quo Roma floruit, cultior fuit superiori. Nam scribit Tacitus, Germaniā olim fuisse horridam syluis & paludibus infœcundā, frugiferarumq; arborū & omnis culturæ impatientē, id quod non de tota Germania, sed de ea quam Rhenus & Danubius includūt, dixisse accipiendū est. Obducebatur enim tūc ferē tota Sueuia, inferior Bauaria & Fræconia, Hercynia sylua. Nunc uero tota colitur, adeo ut Hercyniæ syluæ nullæ reliquæ supersint, præterquā in locis montosis, ut est in Nigra sylua, in Ottonica, Speshartica & Bohemica sylua. Sed nec loca illa, quātumlibet horrendam præ se ferant faciem, carent habitatoribus, ciuitatibus, arcibus, monasterijs & uillis, præsertim cum ex cōuallibus insignes undiq; amnes procurrāt, & cuncti in Rhenum & Danubiū ruant, & mirum in modum per eos populus unus alteri ferat opem, adducatq; ea quæ apud se abundant & alibi desiderantur, qualia sunt, ligna edificijs apta, metalla, picearum arborum liquor, casei, butyrum &c. quæ ex montosis locis in magna copia in terrā planam euehuntur, & pro eis frumentū & uinum reportantur. Quām celebres urbes intra quadringentos annos in superiori & antiqua Germania exortæ sint, nemo est qui id ignorat, nisi qui non uidit Nurnbergam, Ulmam, Herbipolim, Bambergam, Vrarislauiam, Ambergam, Norlingam, Heltprunnā, Heidelbergam, Stuckgardiam, Thubingā, Friburgū, & alia penē infinita oppida, quæ intra Rhenum & Danubiū post translatum in Germanos imperium sunt extructa. Dici nequit, quantum ista superior Germania in oppidis, castellis, & uicis, arcibus, monasterijs & pagis creuerit post memoratū tempus, ut uix satis loci fuerit tot Ducibus, Lātgrauis, Marggrauis seu Marchionibus, Burggrauis, Palatinis comitibus, Comitibus, Liberis, Baronibus, Nobilibus, Episcopis, Abbatibus & Præpositis, in quos tota Germania, exceptis imperialibus ciuitatibus, quæ Imperatorem dominum agnoscunt, est distributa. Multi plebei sub exactoribus istis duram seruiunt seruitutem. Porrò mores & uestitus Germanorum, tam prefectorum quàm subditorum indies mutantur, sanguinarijs militibus semper aliquid noui ex bellis afferētibus. Hinc enim increbuit & incruduit, potandi, iurandi, lacerandi uestes, occidendi & ludendi pessima cōsuetudo. De Sueuis, Bauaris, Franconibus, Alsatis & Rhenensibus, suis quibusque dicetur locis.

